

corpusculis 4fidis in antheribus v. istis petalis ad germina? annon ab Aro distinctum ideo genus.

Fig. 3. *Draba hirta* est.

Tab. IX. Hippocratea certe merebatur nova figura illustrari, cum nullus hanc a Plumieriana figura dignosceret.

VIII. *Hirtella Tua americana* mea esse nequit, vix genere eadem.

Anne noster apud vos legatus posset mittere ad me Tuum librum, quem videre flagro.

Accepi e Cap. b. spei novam omnino speciem *Mesembrianthemi*, caule hirto, foliis latis. Si proferat semina mitam; jam floret.

Halleri emendationes 4^{to} nondum videre potui; uti nec Gouani nec Gerardi floras.

Filius meus edit decurias rariorum plantarum in folio, cujus prima decuria sudat, et continet *Nolanam*, *Ethuliam*, *Lithospermum dispermum*, *Hedysarum junceum*, *Mercurialem androgynam*, *Astragalus chinensis*, *Zygophyllum album*, *Solanum radicans*, *Tripsacum hermaphroditum*.

Inclusa tabula *Alstroemiae* est, de qua nuper edidi dissertationem, pulcherrimus certe flos.

Semina mittam hoc autumno dum profert.

Dum haec scribo, iterum accipio 10 tabulas pulcherrimas, inter quas singularis illa *Heisteria* occurrat. Potes ipse facile divinare quam lacrymantibus oculis ego adspiciam pulcherrimam figuram, nec scire structuram fructificationis, imprimis floris, et characterem naturalem in planta, quae videtur adeo multum abluere ab aliis. Utinam ipsum opus brevi prodiret, cum apud me *Tuae* figurae tantum excitant insatiabile desiderium eas rite dignoscendi.

Accepi nuper *Hudsoni Floram* anglicam, pulchre et distincte adornatam, quam multi facio.

Lee introduction of Botany. Lond. 1760. 8^o fere philosophia plantarum.